

**Tentamen medicum inaugurale, de ascite abdominali ... / eruditorum  
exameni subijcit Jacobus Mair.**

**Contributors**

Mair, James.  
Yelloly, John, 1774-1842  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Typis Georgii Mudie et filij, 1795.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dguzmaw6>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

2.

---

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ASCITE ABDOMINALI.

---



Dr Yelloby, with  
the regard & esteem  
of his friend the  
author.



TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
DE  
ASCITE ABDOMINALI:

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MAIR,

*INDUS ORIENTALIS,*

SOCIETAT. CHIRURGICÆ LONDINENSIS;

ET

SOCIET. REG. MED. EDIN. SODALIS.

Evae! Attend ye Bacchanalians, start at this dark train of  
Evils, and, amid your immodest jests, and idiot laughter,—  
recollect,

*“Quem Deus vult perdere, prius dementat.”*

DARWIN'S *Zoonomia*.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

*CUM PRIVILEGIO.*

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

TENTATIVE PROPOSAL

FOR THE

REPAIRS

AND IMPROVEMENTS

TO THE

BRIDGE

AT

GEORGE TOWN

AND

THE

REPAIRS

AND IMPROVEMENTS

TO THE

BRIDGE

AT

GEORGE TOWN

AND

THE

REPAIRS

AND IMPROVEMENTS

TO THE

BRIDGE

AT

GEORGE TOWN

AND

THE

REPAIRS

AND IMPROVEMENTS

TO THE

BRIDGE

AT

GEORGE TOWN



AVUNCULO SUO DILECTISSIMO  
HUGONI MACLERAITH, M. D.

QUO DUCE ET AUSPICE,  
PRIMA MEDICINÆ RUDIMENTA ET PRINCIPIA EDIDICIT,  
CUJUSQUE VIRES INGENII ET HUMANITAS NULLIS  
AUCTORIS LAUDIBUS INDIGENT ;

HOC OPUSCULUM,  
UT EXIGUUM,  
SED SINCERUM QUIDEM, ANIMI BENEFICIORUM, DUM,  
APUD BRITANNOS, DEGIT, ACCEPTORUM, NUNQUAM  
IMMEMORIS FUTURI, TESTIMONIUM :

NEC NON  
VIRO PRÆSTANTISSIMO  
PATRICIO HUNTER, ARMIGERO,  
QUI OFFICIO PRÆFECTI, IN EXERCITU SOCIETATIS  
MERCATORUM, QUÆ, APUD INDOS ORIENTA-  
LES, COMMERCIIUM FACIT, HONORIFICO  
FUNGITUR,

OB AMICITIAM EJUS VERAM,  
ET HOSPITIUM GENEROSUM, QUIBUS, DUM EDINBURGI MANSIT,  
CONSTANTER USUS EST ;

ET  
OB CONSILIA UTILISSIMA, QUANTUM AD RATIONEM STUDIA  
PROSEQUENDI ATTINET, UNDE SUMMUM PERCEPERIT  
FRUCTUM, HASCE PROGRESSUS, QUEM IN ARTE  
HIPPOCRATICA FECERIT, PRIMITIAS.

D. D. Cq.

A U C T O R.



# TENTAMEN MEDICUM

DE

## ASCITE ABDOMINALI.

---

Auct. JACOBO MAIR.

---

**Q**UO præceptis hujusce Academiae celeberrimæ, quæ aliquod ingenii sui specimen ab unoquoque medicinae studioso, qui summos artis Hippocraticæ honores attingere cupit, exigunt, rite paream, hanc dissertationem ea diffidentia, quæ juvenem et inexpertum decet, in vulgus edo. Quanquam nihil novitatis, quod eam commendet, habet; in ea tamen de

A

natura



natura morbi agitur, qui attentionem medicorum in sese merito convertit, quod et frequenter accedit, et mortalibus miserandis, qui in eum incidunt, plurimum periculi infert. Quæ proferenda habeo, ea illa hydropis specie, quæ *Ascites* appellatur, circumscribam.

### DEFINITIO MORBI.

“ Abdominis intumescencia tenfa, vix elastica  
“ sed fluctuosa.”

“ Ascites abdominalis cum tumore totius ab-  
“ dominis æquali, et cum fluctuatione fatis evi-  
“ dente”\*.

### HISTORIA.

Nulli ætati sexuive parcit hic morbus; sed plerumque in viros, ætate provectiores, et in  
foeminas,

\* Synopsis Nosolog. Method. Cullen.

foeminas, quæ effoetæ evaserunt, invadit. Ascites est morbus modo idiopathicus, modo symptomaticus. Quæ causæ eum faciunt, eæ diversæ sunt. His autem sunt accensenda, icterus, febres intermittentes diuturnæ, asthma, ruptura alicujus vasis lymphatici; ullorum ex visceribus, ut hepatis schirrus, qui frequentissime in causa hujusce morbi est, obstructiones; et quicquid denique quantitatem crassamenti sanguinis diminueret, et calorem vitalem, ad gradum insigniter inferiorem, redigere valet. Quæ causæ hunc morbum protinus excitant, eæ sunt, vel ruptura vaforum lymphaticorum, quo in exemplo humor, qui ope tubi ex abdomine emittitur, colorem albidum habet; vel vasa exhalantia plus humoris profundentia, quam inhalantia lymphatica rursus possunt absorbere.

Hæc hydropis species nonnunquam rapide accedit, et progreditur; deinde, in multos annos, manet, nulla ex parte augescens. Aliis temporibus



ribus admodum tarde appropinquat, et etiam complures anni prius elabuntur, quam semet sub forma confirmata ostendit. Quod signum in conspectum primum sese dat, id est tali, vespere appetente, intumescences, et spiritus difficilior. Talorum vero tumor, morbum adesse, minime pro certo demonstrat; namque idem signum in prægnantibus, et viris ætate provec-tioribus, et pinguioribus, sæpe apparet. Si vero pedes, crura et femora quoque intumescant, utrum morbus necne subsit, nequit dubitari. Hoc autem, per ascitæ decursum, accidere consuevit. Præter hæc signa, volæ sunt duræ et ficcæ, et urina quantitate gradatim imminuitur, turbida fit, et magnam sedimenti lateritii quantitatem deponit. Abdomen gradatim tumescit, et quo plus magnitudinis sibi acquirit, eo magis laboriosa fit respiratio. Appetentia cibi deficit, et sitis increfcit. Febris lenta semper subest. Facies et brachia emaciantur. Pallor prius, deinde color subflavus in cute apparet. His signis



nis ingravescantibus, tussis sicca accedit, abdomen magnopere distenditur, et, nisi humor faccis includatur, fluctuatio ejus plane percipi potest, una manu latus ventris leniter feriente, et altera lateri ejus opposito admota\*. Ægrotum tentat dolor regionis epigastricæ acutus, et febris hæctica accedit. Coma deliquiumque animi malorum ægroti miserandi finem nonnunquam faciunt. “Tandem,” inquit Sydenhamus, “cum tanta aquarum vis, intra abdominis  
“ambitum coerceri ulterius nequeat, impetu in  
“viscera nobiliora et vitalem arcem facto, cata-  
“clysmo quasi submersus perit†.”

## DIAGNOSIS.

Hic morbus cum hydrope ovarii, tympanitide, hydrometra, prægnatione, et diversis physconix speciebus, confundi periclitatur.

## I. HYDROPE

\* Motherby's Dictionary.

† Sydenham. Tract. de Hydrope.

I. *HYDROPE OVARII*.—Confiteamur quidem oportet, discrimen hunc morbum inter et asciten, cum ovarium quantitate humoris permagna distenditur, nonnunquam in primis esse difficile, et, multis in exemplis, aciem ingenii medicorum celeberrimorum fugisse. De eo minus dubitabimus, si tumorem, sub initium morbi, in uno latere tantum percipi posse, et gradatim increfcere, donec abdomen universum citius feriusve occupet, notaverimus. Quin etiam silentio non prætereundum est, spiritum non æque, ac in ascite abdominali, esse difficile.

II. *TYMPANITIDE*.—Sine ulla fere difficultate asciten a tympanitide fecernere possumus. In hoc, nulla humoris fluctuatio percipi potest; sed sonitus tympani tantum ad aures pervenit. Super hoc argumento, celebris Van Swieten frequentia memoriæ prodit. “In Tympanitide,  
“nunquam abdomen in tantam molem extenditur,  
“ditur,



“ditur, ac in ascite; abdomen in latera magis  
“compressum est antèrius, autem magis pro-  
“minet\*.”

Cachexia illa in tympanitide abest, quæ in malis hydropicis constanter notabilis est, et ægrotus, spiritu ex ore anove prorumpente, multum levatur, quod in ascite minime incidit.

III. *HYDROMETRA*.—In hac hydropis specie, tumor pelve plerumque circumscribitur, et nullo modo ascitæ proprium refert. Quinetiam humoris fluctuatio vix percipi potest, menstrua non proveniunt; et, si mulierculam tactui subjiciamus, os uteri occludi, magnitudinem ejus adaugeri, et humorem eo contineri, reperiemus. Hæc, uti spero, ad unum morbum ab altero distinguendum sufficient.

#### IV. *PRÆGNATIONE*.

\* Van Swieten. Comment. Boerhaave.



IV. *PRÆGNATIONE*.—Tumor mammarum, menses suppressi, et motus foetus hanc ab ascite satis clare evidenterque dignoscere valebunt.

V. *PHYSCONIA*.—De diversis physconiae speciebus, per situm organorum diversorum et affectum, et per absentiam soni et fluctuationis, judicari, idque facile, potest.

### CAUSA PROXIMA.

Inter medicos convenit, hanc vel in exhalatione adaucta, vel absorptione diminuta, vel utraque conjuncta, consistere. His adjungi potest subitanea et vera lymphaticorum, vel ductus thoracici ipsius, ruptura.

CAUSÆ

## CAUSÆ EXCITANTES.

Multæ autem causæ, in hydrope excitando, conjunguntur. Earum potissimum, hoc in loco, mentionem faciemus, quæ exhalationem adaugent. Hunc effectum edit, quodcunque reditum sanguinis ad dextrum cordis ventriculum impedit. Namque hoc plenitudinem venosam facit, quæ in causa est, cur magna humoris ferofi quantitas ex exhalantibus effundatur, morbumque progeneret. Ad morbum quoque movendum conferunt variæ hepatis, lienis et glandularum mesentericarum, obstructions, et compressiones diversæ, a steatomatis, et omnibus evacuationibus suppressis, proficiscentes. Exempli non defunt, ubi ischuriam hydrops excepit. Et, singulis fere diebus, hydropes a perspiratione suppressa, et a fluxu hæmorrhoidali cohibito, oriri videmus.

*Αἰμορροΐδας ἰσθάντι χρόνιος ἢ μὴ μία φυλαχθῇ κινδυνὸς ὑδρωπά  
ἐπιγενεσθαι ἢ φθίβειν*

B

“ Hæmorrhoidas



“ Hæmorrhoidas diuturnas fananti, nisi una  
 “ fervetur, periculum est, ne hydrops aut tales  
 “ superveniant \*.”

Relaxatio exhalantium hunc morbum sæpe movet, et hæc, post febres continuas et intermittentes, quæ spatium diuturnum habuerunt, sæpe incidit. Hic omitti non debet, in primis esse probabile, quantitatem aquæ non modicam, hoc in morbo, ab aëre absorberi ; et conditio quidem corporis universa huic opinioni favere videtur. Vir, in primis ingeniosus, Dr. Darwin, multa summi momenti, super hoc argumento, notavit, et plurimum humoris, in diabete, ab aëre absorberi demonstravit. Et idem in hydropse incidere opinatur †.

Contusiones et violentia externa ad hunc morbum excitandum sæpe conferunt. Multa hujus generis

\* Sect. 6. Aphorism. 12. Hippocrat.

† Darwin's Zoonomia.



generis exempla, in scriptis celeberrimi Doctoris Donaldi Monro, offendimus; qui etiam memoriae prodit, Batavos ob frigus et humiditatem, quibus obijciuntur, huic morbo magnopere patere\*. Infuper probabile est, hydropem, quibusdam in exemplis, a paralyfi systematis absorbentis oriri. Ad hanc opinionem plurimum inclinatur celeberrimus Darwin.

#### CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

In his memoranda sunt omnia, quæ debilitatem facere possunt, ut senectus, et potissimum nimis largæ sanguinis evacuationes. Qui vitam inertem sedentariamque agunt, ii ad hunc morbum proclives sunt. Namque iis circuitus sanguinis impeditur, et concoctio et assimilatio male perficiuntur. Morbi præcedentes, quales sunt febres

\* Dr Donald Monro's Treat. on Dropsy.

bres intermittentes pertinaces, et sæpe redeuntes, mortales ad hunc morbum pronos efficiunt. Celsus, ille Latinitatis medicæ fons purissimus, de hac re sequentia profert. “ Sæpe vero hoc  
“ malum per se incipit, sæpe alteri vetusto mor-  
“ bo, maximeque quartanæ, supervenit \*.”

Omnes medici una voce confitentur, usum liquorum spirituosorum immodicum eos, qui iis uti consueverunt, ad mala hydropica pronos reddere. Hi systema corporeum plane et manifeste debilitant, et enerve efficiunt. Fundamenta morbis hepatis gravioribus, qui asciten nimis frequenter præcedere solent, sæpe jaciunt. Pro feminis quoque usum narcoticorum, qualia sunt, opium, thea, coffea, et affectus animum contristantes, habere possumus.

## RATIO

\* Celsus de Hydropo. Pringle's Diseases of the Army.



## RATIO SIGNORUM.

In hac opusculi sectione, aliqua e signis præcipuis recensēbimus, qualia sunt pallor faciei et corporis universi, cutis sicca, fitis adaucta, appetentia cibi diminuta, urina parca, spiritus difficilis, tussis, ictus arteriarum mutabiles, artuum inferiorum tumores, febres; et dolores abdominis, qui ægrotum summo cruciatu afficiunt,

1. *Pallor faciei et corporis universi.*—Hic a laxitate et debilitate corporis universi proficiscitur, quæ tantæ sunt, ut systema sanguiferum non amplius sanguinem ad superficiem corporis propellere, et igitur eam rubro colore impertiri, possit. Quinetiam ad idem signum prognerandum conferunt, potestates concoctionis et assimilationis imminutæ.

2. *Cutis sicca.*—Hæc autem, et parca urina fitisque adaucta causam communem habere videntur;



dentur ; et forsitan ab impetu humorum, præter consuetudinem magno, ad abdomen facto, proficiscuntur.

3. *Spiritus difficilis et Tussis.*—Hæc debilitati universæ, et ascensui descensuique diaphragmatis, per humorem hydropicum collectum impeditis, sine ulla dubitatione, tribui possunt.

4. *Ictus arteriarum mutabiles.*—Hos haud dubie faciunt, irritatio, metus et alia fortuita.

5. *Appetentia cibi diminuta.*—Ob debilitatem atoniamque corporis universas, et potissimum propter vires ventriculi tonicas imminutas, appetitus non languescere non potest, qui, a tono ventriculi idoneo validoque, ex toto pendet.

Quinetiam humor hydropicus, tanta quantitate in cavum abdominis effusus, et vires systemati, mirum in modum, convellens, ad appetentiam

tentiam alimentorum perdendam non parum facere potest.

6. *Artuum inferiorum Tumores.*—Morbo recentiore, posituræ erectæ et debilitati tribui possunt, quæ utræque conjunctæ ad ascensum sanguinis, a partibus corporis imis, retardandum non multum non conferre possunt. Morbo provectiore, venæ cavæ inferiori, vel venis iliacis compressis, procul dubio, referri debent.

7. *Febres.*—Hæ ab irritatione corporis universa, et dolore per humorem effusum factæ, et forsitan a partibus hujus acribus nonnullis absorptis, originem deducunt.

8. *Dolores abdominis, qui ægrotum summo cruciatu afficiunt.*—Hi plerumque mortem præcedunt, et ab erosione intestinorum vel inflammatione manare videntur.

## PROGNOSIS.



## PROGNOSSIS.

Affectus hydropici sunt morbi, a magna debilitate oriundi, sublatu difficiles, et nonnunquam insanabiles. Igitur, hoc in morbo, eventum ejus semper caute præfagiamus, et, antequam ullam opinionem tradere audemus, animum ad causam morbi considerandam diligenter attendamus. Si ascites a frigore et perspiratione suppressis, et non ab ulla viscerum obstructione, vel morbo antecedente, fuerit profectus; si ægrotus junior sit, et vires ei non multum convulsæ sint; si non multum aquæ accumulatum sit, et signa leniora sint; cum aliqua confidentia asserere possumus, probabile esse, ægrotum ad sanitatem posse reduci. Si vero morbus a vitio hepatis aliquo, vel qualibet viscerum obstructione, proficiscatur; si ægrotus ætate provectior sit; si dyspnœa et tussis magnopere urgeant; si multum aquæ sit effusum, et ad putredinem

putredinem vergere videatur ; si morbus remediis tempestivis et idoneis non pareat, sed magis magisque, cum doloribus abdominis excruciantibus et lancinantibus, increfcere pergat, eventus admodum infaustus est expectandus ; namque hæc figna, ad ultima mox ventum iri, plane manifeſteque portendunt.

### RATIO MEDENDI.

Ad partem opusculi, quæ fummi momenti eſt, nempe ad curationem morbi, jam pervenimus. Conſilia autem huic morbo medendi tria ſunt.

I. *Cauſas remotas tollere.*

II. *Humorem ſeroſum evacuarè.*

III. *Vigorem ſyſtemati reddere.*



I. Quantum ad consilium primum attinet, omnia, quæ ad morbum movendum conferunt, et ullo modo accessioni ejus favent, quam cautissime vitentur, qualia sunt intemperantia, et vita sedentaria. Affectus hepatis etiam levissimos, qui sæpe asciten præcedunt, dosibus mercurii idoneis remove conandum est.

II. Quod ad consilium secundum pertinet, ei in primis accommodantur emetica, purgantia, diuretica, sudorifica, sialogoga, et paracentesis.

1. *Emetica.*—Ufus autem eorum, hoc in morbo, ab effectibus vomitionis spontaneæ bonis, qui, in malis hydropicis, sæpe fuerunt notati, profectus fuisse videtur. Stimulus quidem et irritatio, quibus vasa absorbentia afficiunt, non nihil proficere possunt. Aliqua ex emeticis lenioribus, qualia sunt ipecacuanha et scilla, aliquando, cum commode, præscribi possunt. Has summis laudibus effert vir, jure celeberrimus,

Doctor



Doctor Home, et usum earum optimos effectus edidisse affirmat \*. Hoc tamen e memoria medicis nunquam excidat, eas in usum nunquam revocari debere, cum aliquid proclivitatis ad hæmorrhagiam vel apoplexiam detegi potest.

2. *Purgantia*.—Hæc, ob evacuationem partis sanguinis ferofæ, quam faciunt, huic morbo optime accommodari videntur. In draſtica et leniora cathartica dividuntur. Ad illa pertinent, elaterium, scammonium, gambogia, helleborum; et ad hæc fales medii, chryſtalli tartari, fenna, manna, tamarindi, et pruna.

Effectus horum catharticorum leniorum, in vitiis hydropicis, non magni æſtimandi ſunt; namque alvum tantum leniter movent. Cæterum effectus feliciffimos ab elaterio, cum recens præparatur, oriri vidi. Unum ejus granum catharſin violentam facit, et vere mirabile eſt  
videre



videre et notare, quantum, brevi temporis spatio, ad tumores permagnos diminuendos possit conferre. Usus ejus vero ægrotantis viribus accommodandus est; et una cum eo dari potest electuarium, e partibus corticis Peruviani cremorisque tartari æqualibus compositum, cui nonnihil nucis moschatæ accedere debet. Hoc quater vel quinquies, singulis diebus, cum infuso baccarum juniperi, vel eo liquore, qui *Gin punch* appellatur, pro potione communi, adhibeatur. Viri clari Hoffmanus, Junkerus, et Vogelius, quanti elaterium æstiment, aperte affirmarunt. Hoc tantum de eo adjiciam, quod in nosocomiis Londinensibus, in curatione hydropis, in usum sæpissime revocari solet.

3. *Diuretica*.—Inter omnes medicos hodie, ex toto, convenit, nulla medicamenta in hydropem æque, ac diuretica, posse. Adhibita vires ægroto non convellunt, et, in longum temporis spatium, data nihil debilitatis insignis progignunt. De

his

his fequentia eruditus et ingeniofus Gregorius tradit. “Jure igitur, dolemus, remediorum, “quæ diuretica audiunt, effectus tam ambiguos “effe, ut nemo medicus polliceri poffit, fe ægro “cuiquam, per ulla medicamenta, urinam effe “moturum; sæpe enim quæ validiffima habentur, urinam ne minimum quidem movent”\*.

In claffe diureticorum tradenda, chryftallos tartari, fcillam, colchicum autumnale, allium, digitem, cantharides, et nicotianam memora-  
bimus.

1. *Chryftallos Tartari.*—Hoc medicamentum cum fuccellu properrimo a nupero et excellen-  
tiffimo Doctore Hope fuit adhibitum. Id plu-  
rimi æftimat, et magnopere laudat vir ingenio-  
fiffimus.

Dr.

\* Gregory Confpect. Med. Théoret.



Dr. Home, et per experimenta indubitabilia quidem, vires diureticas, non modicas, ei inesse confirmavit.

2. *Scillam*.—Hæc, per spatium temporis diuturnum, pro diuretico efficacissimo fuit habita. Vires ejus, si cum mercurio fuerit conjuncta, multum augentur. Nauseæ, quam scilla excitare solet, optime occurrit extractum gentianæ, iis adjunctum, quod a viro erudito et ingenioso Doctore Duncanó plurimum laudatur.

3. *Colchicum Autumnale*.—Hoc medicamentum a Doctore Stork, Viennensi, magnopere celebratur, et, in oxymelle conficiendo, potissimum, ut diureticum, adhibetur.

4. *Allium*.—Hoc potestates diureticas, magnas, possidere fuit existimatum. Hodie vero in usum rarissime revocari solet.

4. *Digitalem*.

5. *Digitalem*.—Hæc est medicamentum potentissimum, et caute adhiberi debet. Exempla non defunt, ubi quantitate duorum granorum adhibitum exitio manifestissimo fuit. Hoc medicamentum, ob laudes, quibus a Doctore Withering fuerit ornatum, in praxin communem fuit receptum. Id Doctor Darwin, multis in exemplis, præcepit, cum successu, uti videtur, prospero, et formulam subsequentem adhibet.

“ He boils four ounces of fresh green leaves  
“ from two pints to one pint, and adds to the  
“ strained fluid two ounces of vinous spirit. Of  
“ this decoction one large spoonful was general-  
“ ly given early in the morning, in dropical  
“ cases, and repeated every hour, till the pa-  
“ tient had taken from three to eight or nine  
“ spoonfuls, or till sickness was induced or some  
“ other disagreeable sensation\*.” Hoc medica-  
mentum visum afficit, vertiginem movet, et pul-  
fus

\* London Med. Transf. Vol. 3.



fus arteriarum insigniter diminuit. Vir clarus Doctor Withering notavit, digitalem in hisce constitutionibus corporeis, ubi pulsus arteriarum debiles sunt, et intermittunt, ubi vultus pallescit, et labia livescunt, plurimum prodesse. Quinetiam memoriæ prodit, nihil opis fere in hisce hominibus, quibus fibræ tensæ sunt, adferre solere. \*.

6. *Cantharides*.—Hoc medicamentum, in praxi hodierna, raro adhibetur, et in vesicam uriniferam potius, quam in renes, agere videtur.

7. *Nicotianam*.—Hæc, uti Doctor Fowler testatur, remedium in curatione hydropis efficacissimum esse videtur. Vir clarus notat, infusum nicotianæ vertigine levi stipari, et effectus ejus diureticos huic, pro rata ratione, respondere. In functiones vitales, vix ex ulla parte, agere videtur †.

8. *Diaphoretica*.

\* Withering on Digitalis.

† Fowler on Tobacco in Dropsies.

8. *Diaphoretica.* — “ Evocandus est sudor,” inquit Celsus, “ non per exercitationem tantum, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, similibusque aliis \*.” Maxime sunt utiles naturales, et ficcæ sudationes. Sudorifica hodie, in curatione hydropis, rarius adhibentur. Prodesse possunt, cum morbus a perspiratione suppressa proficiscitur. Diuretica vero, ob rationes supra comprehensas, illis anteponenda sunt.

9. *Sialogoga.* — Sub hoc capite memorare possumus mercurium, ut præcipuum, qui maxime prodest, cum morbus ab hepate, obstructione vel schirro laborante, proficiscitur.

10. *Paratentesis.* — Hæc humores, qui cavo abdominis comprehenduntur, efficacissime evacuat, et summam levationem organis vitalibus, motum iis liberum et naturalem comparando, conciliat ;

D

et

\* Celsus de Hydropè.



et indicari videtur, cum nonnulla e remediis potentissimis nihil omnino profecerunt. Hæc operatio potissimum commendatur, cum aqua, in duplicatione peritonæi, fedet.

III. *Vigorem systemati reddere.* Hoc præstare possunt remedia tonica, diæta et exercitatio.

1. *Remedia tonica.*—Sub hac classe comprehendi possunt, ut præcipua, varia e cortice Peruviano, et chalybe præparata; quibus addi possunt nonnulla amara, ut radix gentianæ, lignum quassia, et radix colombo. Hæc potissimum ventriculum tono impertiuntur.

2. *Diæta.*—Hæc e cibo animali, cui quantitas vini vetusti generosi accedere debet, constituitur.

3. *Exercitatio.*—Melius facere non possum, quam verba viri ornatissimi Doctoris Gregorii  
citare,

citare, qui, modo sequente, super hoc argumen-  
to, differit :—“ Corporis quoque exercitatio, ra-  
“ tione haud obscura, stimulum ei impertit, fa-  
“ tis validum, et in quibusdam morbis utilissi-  
“ mum, aliisque omnibus, quotquot cogniti  
“ fuerint, stimulis plane anteponendum. Hoc  
“ imprimis verum est, si quando motus sangui-  
“ nis, variis de causis, præter naturam, languet,  
“ et functiones quædam, ab illo pendentes, se-  
“ cretio præsertim atque excretio, per cutem, et  
“ interdum per renes, simul deficiunt. Neque  
“ profecto defuerunt exempla, ubi postquam  
“ istud vitium eo usque processisset, ut hydrops  
“ plane instaret, vel jam ingravesceret, omni-  
“ que igitur valetudo, in summo versaretur dis-  
“ crimine, per stimulum idoneæ et crebræ ex-  
“ ercitationis sanguinis motu rite expedito, hy-  
“ drops fugatus fuerit, et ægri penitus conva-  
“ luerint \*.”

Antequam

\* Conspect. Med. Theoret.



Antequam hujusce opusculi finem facio, de quodam singulari, a Doctore Darwin memoriae prodito, meminero. Ille notat se quosdam affectus casus vidisse, qui, per accessionem infaniae fortuitam, in tempus levati sunt. Ille sibi in animum induxisse videtur, actionem facultatis sensorii voluntariae adauctam systema absorbens affecisse, et igitur levationem ægrotanti comparavisse \*.

\* Darwin's Zoonomia.

F I N I S.